

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot**

**Stahl, Daniel**

**Jenae, 1662**

Regula III. Eadem est contrariorum materia

**urn:nbn:de:bsz:31-102400**

*Eadem est contrariorum materia.*

I. Contraria, quæ plurimum differunt, sunt in eodem subiecto: eadem enim est contrariorum materia. Aristoteles X. Met. c. VI. t. 14. Per materiam intelligitur materia in quâ, seu subiectum: quod enim posterioribus verbis appellatur materiam, prioribus appellaverat susceptivum. At susceptivum alicujus est materia in quâ. Huc pertinet, quod IX. Met. c. V. t. 19. scribit: Ὅμοιόν κατὰ τὸ διώμαζ λέγεται, πάντιν δὲ διωμάτων παντῶν, οἷον τὸ διώμαζ λέγειν ὑγιαίνειν, πάντων δὲ καὶ τὸ νοσῆν καὶ ἀμα. *Id est, quæ in potentiâ dicuntur, idem contraria potest, quemadmodum id, quod sanum esse posse dicitur, idem est, atque id, quod aegrotare potest, idque simul.*

II. Videretur autem ista Regula contradicere præcedenti. Si enim idem est subiectum contrariorum, sequitur, contraria esse in eodem subiecto. At certè non contradicit, quia præcedens loquebatur de actu & eodem tempore, nimirum: *contraria non sunt actu in eodem subiecto simul sive eodem tempore.* Sed præsens Regula loquitur de potentiâ inessendi successivè, sive diverso tempore. Estque ejus sensus: *Id quod est subiectum unius contrariorum, esse & subiectum alterius, ita tamen ut illi non nisi successivè inesse possint.*

III.



III. Sed contra est, quod Aristoteles in verbis sub finem. 6. I. citatis dicit, id, quod sanum esse posse dicitur, idem esse atque id, quod egrotare potest, idque simul.

IV. Aliud est, aliquid posse recipere contraria simul atque eodem tempore, inesse vel competere subjecto; aliud, contraria posse recipere, inesse vel competere subjecto. Ita Aristoteles expressè in c. 19. L. IX. Met. τὸ πρὸς ἑνὶ δυνάμει τῶν ἐναντίων ἀναγκαῖον ἐστὶν ἕνα τὸ ἴδιον ἀναγκαῖον ἀδύνατον ἕνα ἀναγκαῖον. Possè igitur contraria simul inesse, ipsa vero contraria simul inesse, impossibile est.

V. Argumentor verò ita:

Quæ transmutantur invicem, illa requirunt idem subjectum: quemadmodum demonstravit Philosophus I. Physic.

Sed contraria transmutantur invicem; fit enim ex calido frigidum, & vicissim ex frigido calidum; & sic in reliquis.

E. contraria requirunt subjectum idem.

VI. Loquimur autem de contrariis quantum ad id, quod habent ex sua natura. Per suam naturam contraria apta sunt esse in eodem subjecto, fit tamen interdum, ut, quod est subjectum unius contrariorum, non possit esse subjectum alterius, hoc tamen non fit propter naturam contrariorum, quasi illa non sint apta esse in eodem subjecto, sed ipsum subjectum est in causa, quatenus formæ ejus ita familiaris & necessaria est aliqua



qualitas, ut cum contrariâ qualitate non possit consistere. Ita calor est in igne, quia tamen non potest esse subjectum frigoris, quia calor ipsi inest per naturam, neque forma ignis cum frigore potest consistere. Ita Javellus *X. Met. q. XIII.* Ut compendio dicam, dico: *Contrariorum esse idem subjectum nisi alterum ipsi inest per naturam.* Et de hoc (nimirum, quod est in subjecto per naturam) etiam minor syllogismi §. V. propositi vera non est. Ex igne enim calido non sit ignis frigidus, propterea scilicet, quod calor inest igni per naturam, ita ut sine eo esse non possit.

## REGULA IV.

*Non necesse est, unum contrariorum si sit, & reliquum esse.* Aristoteles *Categor. Cap. XI.*

Relativè oppositum a est natura, ut si unum est, etiam alterum esse necesse sit: ut si pater sit, non potest non esse filius. At alia est contrariorum conditio; eorum enim unum in rerum natura esse potest sine altero, neque ex eo, quod unum est, inferre licet, & alterum esse; sicut non sequitur; *album est in rerum naturâ E. & nigrum.* Nam si Deus omnia nigra destrueret, relictis albis, quod quidem facillè factu ipsi esset, tunc per naturam alba subsisterent in rerum natura, nullo existente nigro. Locum etiam habet hoc pronunciatum in privativè & contradictoriè oppo-